Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1393
Quelle:
Copyright:

terire aureum *Boethii* effatum, quod mox ſub initium *Bradwardinus* excitat: *Quisquis ſcientias Mathematicales pretermiſerit, conſtat omnis Phyloſophie perdidiſſe doctrinam.*

VII. *fol.* 243. iterum in membrana calamo Sec. XIV. *Meditationes beati Bernardi.* Initium: *Multi multa ſciunt et ſeipſos neſciunt* &c. Integrae ſunt et leguntur in Edit. *ſuprac.* p. 423. A nobis etiam indicatae *Codd.* pluribus. Exemplar praeſens nihilo perfectius ſupra adductis *Bernardi* aliis.

VIII. *fol.* 258. manu Sec. XV. in charta *Incipiunt Sermones de quatuor inſtinctibus. diuino. angelico. dyabolico et humano.* Initium: *Semen cecidit in terram bonam* &c. *Hoc uerbum propoſitum exponitur per chriſtum de ſemine uerbi* &c. Tractatus hic ad *Henr. de Vrimaria* Auguſtiniani Inſtituti pertinet, ut jam ad *Codd.* XC. et plures alios obſervatum eſt.

CCCLXI.

19 Codex membraneus gall. Sec. XV. Folior. 406. fol. max. eleganti manu ſcriptus, literis initalibus auro, et coloribus illuſtratis. Continetur eo Traductio gallica ſeu Burgundica vaſti Operis, quod *Fortalitium Fidei*, hic *Fortreſſe de la Foy* inſcribitur. Interpres, cujus nomen in noſtro Exemplari deſideratur, ex Cod. *Bibl. Bernenſis*, in quo tamen non niſi IV. et V. Liber Operis habetur, innoteſcit; ita enim ibi ad calcem legitur: *Le preſent Volume a eſte translaté de latin en françois par Pierre Richart, dit l'oiſelet, Preſtre et Curé de marques.* Traductionem noſtram eandem eſſe cum Bernenſi, et cum ea, quam poſſedit Dux *Vallerius* Pariſiis, docuit collatio. Confer *Catal. Codd. Biblioth. Bernenſ. Bernae 1760. p. 68.* et *Catalogue des Livres de la Bibl. de feu M. le Duc de la Valliere. Paris.* 1783. *P. I. p. 266.* ubi et leges, quae de Autore Fortalitii, non *Guilelmo Totano* aut *Thoma* Patriarcha *Barbarienſi*, aut *Bartholomaeo*, ſed *Alphonſo de Spina* traduntur. Adde *Clement Biblioth. cur. hiſt. et crit. T. VIII. Leipſ.* 1759. p. 316. Primus, qui viri hujus a Judaiſmo ad Sacra chriſtiana converſi nomen retexit, *Jo. Mariana* fuit; ita enim, dum in *edit. biſp. Hiſtoriae ſuae* ſupplicium Alvari de Luna perſequitur, L. XXII. c. 13. narrat: *Acompannò a don Alvaro por el camino, y haſta el lugar, en que le juſticiaron*, Alonſo de Eſpina, *frayle de S. Franciſco, a quel que compuſo un libro llamado* Fortalitium fidei, *magnifico titulo, bien que poco elegante, la obra erudita y excelente por el conocimiento, que da y mueſtra de las coſas diuinas, y de la Eſcritura ſagrada.* Et brevius in edit. lat. l. cit. *Alfonſus Spina monachus Franciſcanus morienti affuit; is, qui* fortalitium fidei *edidit, ſplendido titulo, voce barbara, eruditum opus et divinarum rerum cognitione praeſtanti.*